

Yd  
2735





**ADEXERCITIUM**  
**ORATORIO-DRA-**  
**MATICUM,**  
**CRAS, DEO DANTE,**  
**AB HORA PRIMA**  
**POMERIDIANA**  
**INSTITUENDUM,**

Yd  
2735

*SUB MISSE, OFFICIOSE AC*  
*PER AMANTER IN-*  
*VITAT*

**M. JOHANNES Töpffer**  
**SCHOLÆ SENATOR. NUM-**  
**BURG. RECTOR.**

**J E N Æ,**

Typis Samuelis Adolphi Mülleri.

Anno 1670.

BIBLIOTHECA  
 PONTIFICIA  
 APOSTOLICA  
 VATICANA

*officium parentum in liberos*  
*ad literarum studium exercitum*  
*part*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
 HALLE  
 (BALE)



**N**. Oeconomia Scholastica multa equidem  
 occurrunt pensiculanda quotidie, atq; obser-  
 vanda. Non enim docentibus tantum modo  
 sua exornanda Sparta est, atque discipulis;  
 illis quidem meditando, praecipiendo seu docendo, ad-  
 hortando, dehortando, castigando; his vero discendo,  
 ruminando, obediendo: Sed praecipuis etiam paren-  
 tes, & qui illorum sustinent vicem, suo fungantur mu-  
 nere, utpote qui provehere maximopere possunt mo-  
 res ac eruditionem liberorum, si debitam adhibeant  
 curam, sin minus, praepedire omnino queunt miserabi-  
 liter. Cumque munia praceptorum, pariter ac disci-  
 pulorum haecenus identidem tetigerimus, non a se fa-  
 cturos nos esse, arbitramur, si Parentum quoque offi-  
 cium delineaturi aliquantulum simus; siquidem, has ut  
 ducamus lineas, non parva necessitudo videtur expo-  
 stulare. Quemadmodum a. veritas non est anxiosa de  
 coloribus acquirendis, neq; verba expetit cerulata, sic  
 statuente Tragicorum famigeratissimo, Seneca; sed  
 potius simplicitatis amans, pios sibi quoque favitores  
 conciliat: Ita, licet pigmentis hic usus sim nullis, ne-  
 que scripturus more oratorio: Rei tamen scholasticae  
 ac veritati optime cupientes chartam hanc benevolis  
 inspecturos oculis esse, non possum non confidere.  
 Cum omnia DEI longe clementissimi beneficia con-  
 decoranda laude sunt, ac perpetua gratiarum actione;  
 tum vero id, quo indulget nobis scholas, splendidissima  
 Evangelii

Evangelii luce collustratas, per saluberrimum illud or-  
ganon, LUTHERUM, cujus memoria in singulis eo-  
rum, qui verè sic dicuntur, Christianorum provinciis  
colitur meritò, & recolitur, oblivione nullatenus est  
sepeliendum, sed celebrandum ore semper gratissi-  
mo, & iterum iterumque decantandum. Jam enim  
*Μουσίων θύραι ἀνεώχμεναι*, jam Musarum, & quidem non  
gentilium, sed Christianarum fores sunt apertæ; jam  
patet domus DEI, patet coeli porta. Vestrum est,  
quicumque paterno & materno gaudetis nomine, suspi-  
cere illas coeli ædes ac sedes, honorare valvas illas.  
Vestrum est prospicere filiis vestris de omnigenâ feli-  
citate, in ludis literariis impertiriendâ. Requiritur sei-  
licet à vobis, ut non incipiatis duntaxat mittere gnatos  
vestros ipso tempore in *παιδεία*; sed provehatis  
quoque, nec intermittatis unquam missionem illam fri-  
volis de causis. Exigitur à vobis, ut liberis in scholam  
mittendis comparatis libros, & quæ reliqua sunt  
arma scholastica. Sicut enim ille, qui armis est destitu-  
tus, quamvis sit militiae, ne militis quidem nomine ve-  
nit insigniendus, tantum abest, ut velitari queat: Ad e-  
undem planè modum, qui caret libris, quomodo mili-  
tare in castris Musarum poterit? An condignus etiam  
erit, qui salutetur scholæ *ἐντεφός*, seu alumnus? Posci-  
tur à vobis porrò, parentes, ut aut ipsimet, aut per alios  
intra domesticos quoque parietes filios vestros ad o-  
peram literis navandam impellatis. Quamvis enim pu-  
blica informatio privatae meritò præferatur: Non suf-  
ficit tamen horas aliquot in publicâ contrivisse scholâ;

sed necessitas omninò efflagitat, ut & domi scrutinium  
instituantur, & memoriæ lectiones altiùs infigantur.  
Et quia, Mantuano teste,

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos,  
atque adeò exitio est liberis ad unum omnibus; caveatis  
igitur, caveatis Parentes, ne indulseritis nimium gnatis  
vestris castigandis aut castigatis, ne adhibueritis fidem  
mentientibus, & sibi, nescio quod, dedecus, perhiben-  
tibus, inflictum esse. Denique hoc à vobis omninò re-  
quiritur, quicumque verò Parentum amore flagratis, ut  
præcipiatis etiam filiis vestris ex scholâ discessuris, ne  
non gratum informatoribus suis probent animum, quò  
effugiant adeò ingratorum hospitem stigmata, & gau-  
deant contrà, quod fit à Præceptoribus, omnimodæ  
prosperitatis voto. Terrorem quippe incutiant omni-  
bus ista sapientissimi Regis verba: Qui reddit mala pro  
bonis, non recedet malum de domo ejus. Verùm enim  
verò, quantumvis, Parentes hoc functos munere, ac e-  
tiamnum fungentes inveniri, nullus inficias eam: Atta-  
men haut exigua illorum est copia, quibus cordi adeò  
non est *παίδων ἀγωγή*, seu liberorum educatio, ut con-  
queri potiùs de impiâ illorum negligentia, vecordia &  
indulgentia pius quisque teneatur. Sunt equidem,  
(quod calidissimis deplorandum est lacrymis) qui Ab-  
deritanæ, ut ita loquar, plebis gerentes pectora, ne finē  
quidem scholarum perspectum satis habere volunt.  
Sunt deinde *χρηματιστικοί*, (liceat uti voce Græcanicâ) qui-  
bus quæritur virtus post numos, juxta illud Poëtæ, per  
mimesin avaritiam increpantis hominum, dicentisque:

O cives,

O cives, cives, querenda pecunia primum est,  
Virtus post nummos!

Hi sanè porcorum interdum majorem gerunt curam,  
quàm liberorum, sibi tempus non suppetere, perhiben-  
tes; ideòque filios non maturè, quamvis vel maximè  
possint & teneantur, fidelium Præceptorum curæ com-  
mittentes. Et hi ipsi sunt, quorum causà Crates jam o-  
lim, recensente Plutarcho, decantatissimo Scriptore,  
hæc fecisse verba dicitur: Si possem exaudiri ab omni-  
bus hominibus, conscenderem altissimam turrim, & ex-  
clamarem: Quò ruitis homines, qui nummos corradit-  
tis, & interim educationem liberorum negligitis? Quà  
de re legere plura licet in aureo libello *περὶ παιδων ἀγωγῆς*,  
seu de puerorum institutione. Sunt porrò *ἡδονικοὶ*, vel  
ejus furfuris homines, qui inhonestæ litant voluptati,  
qui Lyæi propemodum, aut Comi audiunt mancipia, &  
adeò potius argentum idolis suis, i. e. vino seu cerevisiæ  
aut aliis rebus voluptariis consecrant, quàm libris e-  
mendis, & reliquis armis scholasticis, quibus miselli fi-  
lioli maximè indigent, cum sine illis ad metam,  
quam præfixam sibi habent, pertingere nullatenus pos-  
sint, imò sæpius valedicere Musis, quamvis optimis pol-  
leant ingeniiis, non sine miserabili querelâ, cogantur.  
Sunt denique non pauci, qui abutentes *φιλοσοφία*, indū-  
gent nimium coreulis suis, adeòque vituperium illo-  
rum, vel castigationem æquâ ferre mente nequaquam  
possunt. De quibus non mea, sed viri celeberrimi,  
Thomæ Lansii, ex commentatione Historico-politico-  
Juridicâ de academiis producam verba. Sunt verò hæc:  
Quæ

Quæ parentum est impudentia, & φιλοσοφίας crudelitas, dum  
nimium amando filios perdunt, eosque erroribus jam innutritos  
perpetuis suis blanditiis faciunt obstinatos, & ad præceptorum  
mandata refractarios & contumaces; unde fit, ut, quos spera-  
verant fore aliquando Reipubl. columnas, & literatos, eos non  
nunquam videant, non sine ingenti cordolio, patibuli candida-  
tos, & literas longas. Et quæ præceptores, quæso, consequun-  
tur ab ingratis convicia? Quis contemptus? Qui si mites sint,  
ac mansueti; nimis laxæ disciplinæ rei: Si aliquam misceant  
severitatem, tantum non tyrannidis à querulis & credulis paren-  
tibus arguuntur. Hactenus Thomas Lansius, vir ille de Repu-  
bl. literariâ longè meritiſſimus. Et votis jam conceptis voven-  
dum omninò foret, ne hic quoque tales, quales descripsimus huc-  
usque, homines ostenderentur. At verò quorsum hæc? Non  
nemo dixerit. Surdis narratur fabula. Plerique scilicet pa-  
rentes, quæ huic mandasti chartæ, non intelligunt; & si vol ma-  
ximè quidam hæc intelligant, non legunt; sed alieno potius  
ministerio mancipant papyri hujus planitiem. Verum non eo  
quidem inficias, parentes Læcium non attigisse, quos jam tango,  
plurimos, nec adeò posse, quæ hic calamo sunt conscripta, com-  
prehendere. Neque me fugit planè, nonnullos esse, quibus  
Programmata ferè magnæ sint dividiæ. Sed, nec deesse quos-  
dam, arbitror, qui velificantes Reipubl. scholasticæ, talia  
non habeant insuper; verum ignaros edocere illa possint, quæ  
scitu, pariter ac factu necessaria videntur. Et sanè religio mihi  
foret ibi agere Harpocratem, ubi ea, quæ suscepta est, provincia  
silentium interdicit, monenda illa esse, perhibens, ex quibus uti-  
litas haut exigua derivari in discentes potest. Neque, ansam  
Tentonicè quoque ista proferendi, quæ singulos circa Oecono-  
miam scholasticam observare decet parentes, se oblaturam esse,  
diffido. Interim etiam atque etiam cavendum cuilibet duco, ne  
scholas, illa καλοκαγαθίας seminaria, fastidiendo, barbariem,  
quæ est **Monstrum horrendum, informe, ingens, cui**  
**lumen ademptum,**

Quam-



9  
7  
2  
1

Quamque SUPREMUS ΣΧΟΛΑΡΧΗΣ præprimis per instru-  
mentum illud lectissimum, MARTINUM scilicet LUTHE-  
RUM, in Averni relegavit claustra, ex Orco reducens, fenestram  
quasi malorum Iliadi aperiat. Conglomeranda hic in facili es-  
sent dicta non adeo pauca, quæ ipse Megalander variis in locis  
ex intimo pectoris sacrario produxit, ut homines à reducendâ  
barbarie quam fidelissimè avocaret: Sed aliam præstolans oc-  
casionem, id modò jam dicere haut supersedeo, in Exercitio O-  
ratorio-Dramatico, crastinâ luce cum D.E.Θ instituendo, B. po-  
tissimum LUTHERI studium atque operam, quam in evel-  
lenda fixit barbarie, quadantenus monstrari, ut nostrates mon-  
strum illud tristius Harpyjis cognoscant eò melius, atque devi-  
tent. Lubet autem eos denominare saltem alumnos Scholæ no-  
stræ qui in LINGVIS CARDINALIBUS, Ebræâ scilicet Græcâ, La-  
tinâ, Germanicâ, & quidem sub schemate Ecclesiæ, Capnionis,  
Erasmi, Lutheri, Leonis X., Cajetani, Tecelii & aliorum, juxta  
præcepta Rhetorica, sua proferent meletemata.

*Sunt igitur sequentes:*

NICOLAUS Liebe / Ludvvigst. Thur.  
ANDREAS Schäffer / Loebaviens. Lusat.  
JOHANNES Döffer / Herogofferst. Thur.  
GEORGIUS Reichenbach / Glauch, Misn.  
AUGUSTUS Werner / VValdenb. Misn.  
CHRISTOPHORUS Gottfried Schall / Numburg.  
JOH. HEINRIC. Stellmann / Gruning. Saxo.  
Gottfried Schammelig, Meuselvviz. Misn.  
HEINRICUS Stalknecht / Trefurt. Hassus.  
Ehrenfried Raming / Numburg.  
JOH. CHRISTIAN. Koderhalt / Apold. Thur.  
JACOBUS Francke / Numburg.  
CHRIST. CHEMNITIUS, Lissinopag. Thur.

JO:

JOHAN. CHRISTOPH. BERNHARDI, Auerstad. T.  
SAMUEL Jahr / Lauch. Thur.

ABRAHAMUS Meißel / Numburg.

MICHAEL Berner / VValdenb. Misn.

MARTINUS Seyring / Corbus. Lusat.

JOHAN. CHRISTIAN. Lehmann / VVitteberg. Saxo.

GREGORIUS JACOBUS Köhrborn / Bebra-Thur.

Cum verò momenti multum, atque ponderis situm sit in VIRORUM DOCTORUM, EORUMQUE BENEVOLO-  
RUM, Præsentia; non igitur VENERANDOS dumtaxat  
MUSARUM PATRONOS submissè; sed cæteros etiam  
LITERARUM FAUTORES officiosè ac peramanter roga-  
mus, ut cras, DEO volente, in eo, qui Exercitio huic indultus est,  
loco frequentes adesse, ac faventes ne graventur. Non adeò  
prolixum erit, qualecunque ab alumnis præsentabitur; siqui-  
dem brevitatis, quæ grata est, studium singulis seriò injunximus,  
ne quis tædium forsitan è prolixitate capiat. Quod si contule-  
rint in ordinem Scholasticum id beneficii atque officii, cum non  
aliam, IPSIS tamen gratiæ mentis erigemus statuam. P P.

Numb. 2. Nov. cl. lbc LXX.





Q.K. 514, 56.

ADE

ORA

CRA

AI

SUB M

PE

M. J C

SCH

Typ

BIBLIOTHECA  
PONTIFICIA

IM

A-

AC

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

421

Yd  
2735

